

tiones, quas D. Ascanius ad academiam Charlottenburgensem in mineralogiam habet, nihil superest. Uraniam jam præter immediata mea studia colere coepi. Hinc imposterum nostrates non nisi apud Te & prima & ultima elementa huius doctrinæ capere poterunt, utque longe diuque adhuc huius doctrinæ disseminationi publicæ inservire vegetus atque incolumis valeas, ex animo opto, meque sempiterno favori Tuo & amicitiae commendo. Vale. Dabam Havniæ d. 26 Octobris. 1761, ¹⁾

(30) Generosissime Eques,

Quoniam ex ultimis Tuis ad me datis litteris intellexi, molestum Tibi esse illud negotium amicum, quod nuper Tibi demandare ausus fui; suasi Curatori bonorum Dⁱ Hagen, ut ille aliam viam quæreret ad negotium illud absolvendum sine ulteriore opera Tua. Invento jam remedio, quo minus D. Hagen prodigalitatem suam ulterius continuare possit sine præsentissimo suo damno, hisce litteris Te rogo, ut Tu acceptis 3333 th. c. retinens honorarium pro collegio privatissimo Tibi debitum nec non impensas epistolares, reliquum vero simpliciter tradas in manus ipsius D. Hagen, cujus propriæ curæ jam nos exsolutionem æris alieni sui demandabimus, isque schedula solita acceptam illam a Te pecuniam fatebitur.

Nisi omnia me fallunt, Vir generosissime, non parum in ultimis litteris Tuis stilus ille olim adeo amicus Tuus, cui me adsuefecisti, deficere videtur. Si rationem divinare licet, duplex talis esse poterit. Vel indigne fers, me nimis audacter negotium aliquod Tibi demandasse, quod infra dignitatem Tuam esse censes. Si hæc est Tua ratio: veniam ejus audaciæ rogo. Nihil tamen feci, quod non fit quotidie in academiis germanicis & nostrate, ubi satis frequenter summi Professores, quorum nonnulli consilarii intimi dignitatem ha-

¹⁾ Paa Brevets Fod er skrevet en Anviisning paa Pengene, undertegnet »Willebrand«.